



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Hierosolymitanvm Svb Eivsdem Legati Apostolici praesidio  
contra Armeniorum in fide errores celebratum sub Innocentio papae II.  
circa annum Domini MCXLIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
 CHRISTI  
 1142.

sententia, annulum & crucem compulit violenter resignare: inde, iubente legato, principi traditus, & vinculis miserabiliter alligatus, tamquam vir sanguinum ignominiose tractatus, apud monasterium sancti Simeonis, iuxta mare, in monte eminentissimo situm, carceri mancipatus est. Fuit autem idem dominus Radulphus (nam nos ipsi in nostra pueritia vidimus eum) vir specie decorus, procerus corpore, oculis aliquantulum obliquis, non tamen ad indecentem modum, literatus mediocriter, sed facundus plurimum, & iucundissimi sermonis, multam habens gratiam, liberalis admodum, militarium virorum, sed & secunda classis fauorem non modicum assecutus, promissorum & pactorum facile immemor: in verbo suo varius & inconstans, subdolos, ac nimium in omni via sua multiplex, prouidus & discretus: in eo solo repertus imprudentior, quod aduersarios, quos sibi merito suscitauerat, in gratiam suam redire volentes, non admiserat. Dicebatur etenim, & vere sic erat, arrogans, & de se plus equo presumens: vnde in eum deuenit casum, quem, si aliquantulum circumspicius se habuisset, facile potuisset declinare. Captus ergo, & catenatus, in monasterio diu detentus, tandem elapsus Romam profectus est. Ibi aliquatenus gratiam sedis apostolicae assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente, nescimus quo, miserabiliter interit: in seipso, quidquid vtraque fortuna facere poterat, alter Marius, plenius expertus. Hucusque Tyrius.

Baronius de tempore incertus de hac & sequenti Synodo, plura anno 1136. num. 30. & sequentibus coniungit.

CONCILIVM

ANNO  
 CHRISTI  
 1143.

HIEROSOLYMITANVM  
 SVB EIVSDEM LEGATI APOSTOLICI  
 praefidio contra Armeniorum in fide errores celebratum  
 sub Innocentio papa II. circa annum Domini MCXLIII.

NOTA.

<sup>a</sup> Concilium. ] Postquam Tyrius praedictis capitibus de Antiocheni <sup>Acta Con-</sup>  
 Concilii actis egisset, de rebus in hac Synodo gestis ista ait: Legatus <sup>cilii.</sup>  
 igitur, deposito patriarcha, & consummatis apud Antiochiam pro  
 quibus venerat negotiis, Hierosolymam reuersus est: ubi vsque ad so-  
 lennitatem paschalem moram faciens, habito prius consilio cum praelatis  
 ecclesiarum, tertia post sanctum pascha die, vna cum domino patriar-  
 cha, & episcoporum nonnullis, templum Domini solenniter dedicauit.  
 Adfuerunt ibi dedicationis die multi tam de partibus ultramontanis,  
 quam de cismarinis regionibus, magni & nobiles viri. Inter quos adfuit  
 & dominus Ioscelinus iunior, comes Edessanus, qui tunc in solennibus  
 sancti pascha diebus magnifice nimis in ciuitate moram faciebat. Qua  
 celebritate completa, conuocatis archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum  
 praelatis, vna cum domino patriarcha Concilium celebrauit, in primitiua  
 Concil. Tom. 27.

V



et ecclesiarum matre sancta Sion, tractans ibi cum eis de iis qua instanti tempore videbantur conuenire. Cui Synodo interfuit Maximus Armeniorum pontifex, imo omnium episcoporum Cappadocia, Media, et Persidis, et utriusque Armenia princeps, et doctor eximius, qui catholicus dicitur. Cum hoc etiam de fidei articulis, in quibus a nobis dissentire videtur populus eius, habitus est tractatus, et ex parte eius promissa est in multis correctio: quibus rite peractis, predictus legatus ad Acconensem rediens ciuitatem, inde parato nauigio Romam reuersus est. Clerus vero Antiochenus, et maxime qui in depositione domini Radulphi conspirauerant, instinctu et suggestione principis, et maxime, ut dicitur, interuentu munerum, elegerunt sibi quemdam eiusdem ecclesie subdiaconum, Haimericum nomine, Lemouicensem, hominem absque literis, non satis honeste: quem predictus dominus Radulphus, arbitrans eum sibi reddere obligatiorem et fideiorem amplius, in decanum eiusdem ecclesie promouerat, spe frustratus. Nam ab ea die cum eius aduersariis dicitur conuenisse, et in benefactoris sui fidelitatis immemor conspirasse depositionem. Quod autem de eius promotione factum est, Petrus quidam, cognomine Armenius, eiusdem ciuitatis castellanus, artibus suis et multa munerum profusione aggreditur, et tam clerum quam principem ad id impulsisse dicitur, eo quod eius esset consanguineus.

ANNO  
CHRISTI  
1143.ANNO  
CHRISTI  
1143.

## VITA

## CÆLESTINI PAPÆ II.

ANNO  
CHRISTI  
1143.Cælestinus  
papa quan-  
do.

CÆLESTINVS secundus, natione Tuscus, Guido antea vocatus, ex presbytero cardinale tituli sancti Marci, iuxta constitutionem Innocentii prædecessoris sui, qua populus omnino a pontificis electione arcebatur, primus sine vllis populi suffragiis, teste Onuphrio, propter ciuile bellum quod a Romanis senatum restituere satagentibus imminabat, creatus est pontifex tempore Conradi imperatoris, anno Domini 1143. illo die quo Innocentius secundus e viuis decesserat. Petrus Cluniacensium abbas scripsit ad eum epistolam, apud Papirium Massonum extantem, qua continetur ipsum legitime electum initio pontificatus Romæ omnia pacata habuisse. Vvilielmum Eboracensis ecclesie thesaurarium, hominem tunc temporis improbum, in sedem Eboracensem bis intrusum, ab Innocentio damnatum & fugatum, per surreptionem ecclesie Eboracensis episcopum ordinauit & consecrauit, & contra sanctum Bernardum hac de re grauiter conquerentem defendit. Cum, iuxta Vrspergensem, mensibus